UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Constantinvs 26. Decemb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70962

Visual Library

tumulasset, cæsa pro Christo, & in ignes conjecta, ex Sacerdote rectè victima est facta. *Ex Metaphr.*

S. CONSTANTINVS C. 26. *Decemb.*

NAtus est hic CONSTANTINVS Hebræus, vixit verò Christianus, cùm Christianum alium, qui in fossam lapsus signo Crucis se munierat, surgere incolumem vidisset. Ab eo tempore ita CHRISTI Crucisque amore arsit, ut flammas pectoris prodigiosus in vultu splendor proderet. Impuram è gente suâ puellam ad illicita se pellicientem cruce neci dedit, cruce vitæ reddidit. In cœnobium deinde, divino ductu, cùm venisset, dum Servatoris è cruce pendentis pedibus osculum tulit, Servator ipse amplexum illi rependit, simul suâ manu ductam crucem fronti ejus impressit. Ipse quoque locũ eum, quo sacris undis est tinctus, pedum suorum vestigiis insignem, eum verò, quo preces solitus est facere, cælestibus odoribus nobilem fecit. Iam templorum portæ spontè illi pandebantur. Totus oculeus illa etiam, quæ in animis hominum gerebantur, pervidit: undas sicco, cùm libuit, pede perambulavit, terrâ obrutus umbilico tenus XL. dies sine cibo duravit. Obiit verò anno, postquàm sacris est initiatus, VIII. verissimus Abrahæ filius. *Ex Menæis.*

S. IOAN-